

## DE ELECTIONIBVS.

**E**LECTIONEM nominant Astrologi observationem dierum uel horarum, quae ratione cuiusque geniturae, si ea cognita sit, & ratione motus caeli ac siderum, auspiciatae sunt rebus gerendis: uel contra.

Quia autem haec pars doctrinae Astrologicae nugis & commentis Arabum & Chaldaeorum mirum in modum deprauatae tradita est, ut qui egressi artis metas, auaritia uel ambitione, infinitas  $\epsilon\pi\lambda\omicron\gamma\alpha\varsigma$  rerum minime subiectarum astris effinxerunt, recte discernenda sunt à Physicis observationibus superstitiosa et  $\alpha\upsilon\alpha\tau\iota\omicron\lambda\omicron\gamma\alpha\tau\alpha$  temporum discrimina, quae sine naturalium causarum consideratione sunt, qualia sunt nugaeissima illa  $\alpha\pi\omicron\tau\alpha\delta\omicron\mu\alpha\tau\alpha$   $\pi\epsilon\gamma\iota$   $\tau\omicron\upsilon\mu$   $\epsilon\gamma\omega\tau\alpha\delta\epsilon\omega\mu$ , quae nulla ratione explicari aut ad causas Physicas referri queunt, Item Sortes & his similia.

Physica temporum discrimina sumpta sunt à uiribus ac constantissimo motu caeli & corporum caelestium, ex quorum consideratione, si ritè euoluuntur, multa oeconomica, politica, & ad ualitudinē conseruandam propè necessaria praecepta eruuntur, qualia sunt etiam in medicorum doctrina de diebus criticis, de humorum in corpore redundantia, aut defectu. Item in praeceptis rei rusticae annotata ab antiquissimis poetis & scriptoribus eius doctrinae. Horum observatio ut non officit religioni, ita si ad usum dextè ac prudenter accommodetur, utilitatem habet non contemnendam.

Quae sunt autem Electionum Physicarum uelut species: Vniuersalis & Particularis.

Vniuersales electiones appellare possumus eas, in quarum consideratione non requiritur alicuius natiuitas, ut in inchoationibus certarum operarum, et ipsae quae ad agriculturam pertinent: Aut ubi haberi nequit thema natalitium eius, cui electiones fiunt, qualis est ratio electionum, quae passim in diarijs annotantur.

Particulares electiones ferè ad medicationes referri possunt, quorum praecipua capita sunt.

Sectiones uenarum.

Pharmaca.

Certi alicuius membri curatio.

Ablactationes infantum.

Balnea.

Sectiones capillorum aut unguium.

Coniugia.

Dignitatum & officiorum fausta exordia.

Peregrinationes, legationes, nauigationes, commigrationes.

Harum actionum Electiones fieri possunt, cum naturales sint, & natura adiuuante perficiantur. Ideoq; à siderum positu & constitutione iuari aut impediri egregiè possunt.

Tempus in electionibus obseruandū duplex est: In quibusdam sufficit solum diem eligere, quo Luna iungitur planete gubernatori negotiorum, pro quibus electio fit, aut gubernator negotij in dignitatibus suis constitutus ad felicem aspectum peruenit.

In quibusdam non satis est diem solum eligere, sed etiam hora obseruanda est, constituto totius caeli themate, ut significatores in eadem feliciter consistant.

## DE VNIVERSALIBVS ELECTIONIBVS.

Cum thema natalitium eius, pro quo fit electio, haberi non potest in genere, hoc modo agendum est:

**I** Considera diligenter ipsius rei naturam & qualitatem, ut pro pharmacorum electione aetatem, & temperamentum hominis, Item humorum extrahendorum naturam & qualitatem &c. Prolixius hoc exponit Pontanus, in explicatione XI. Aphorismi censuram propositionum Ptolemaei. Deinde artis rationem, ut ne humores crudos purges &c.

Postea considera caelestia corpora hoc ordine.

**I.**

Libera ab omnibus impedimentis, & fortis.

In signo conuenienti rei propositae, fixo uel mobili.

Mobilia enim & communi, celeritati negotiorum conferunt: fixa stabilitati.

In fausto aspectu eius planetae, qui habet significationem rei propositae.

**II.**

Planeta significator rei propositae, (ut Venus pro nuptijs, Iuppiter pro diuitijs) sit constitutus in suis dignitatibus.

**III.**

Domus significatrix rei propositae, atq; eius dominus careant prorsus maleficarum aspectu, & cum bonis, si fieri potest, configurantur.

**III.**

Ascendens signum sit de natura rei propositae, ut pro itincribus & negotiorum celeritate signa mobilia, pro rixis Martia &c. pro stabilibus fixa: & eius dominus sit directus & bene constitutus: ita ut, si fieri potest, feliciter suam domum aspiciat, Luna ab ea domo remota corpore. Et haec constitutio in omnium operum inchoatione fausta iudicatur.

Haec consideratio in Vniuersalibus sufficit, ubi figura natalitia haberi non potest. Quae uero sine genitura aliqua considerantur uniuersaliter, ea maiori ex parte ad agriculturam pertinent, & his capitibus continentur.

De satione & plantatione.

De materia caedenda.

De Venatione, piscationibus, aucupio.

De structuris & aedificiorum.

De hereditatibus aduendis.

De commigratione seu domorum mutatione.

Notum